

10. Inizio della terza guerra punica.

Tertii Punici belli initium altēro et sexcentesimo anno ab Urbe condita (fuit), intra quintum annum quam (= dacché) erat coeptum, consummati. Inter M. Porcium Catonem et Scipionem Nasīcam, quorum alter sapientissimus vir in civitate habebatur, alter optimus etiam a senatu iudicatus erat, diversis certatum sententiis est, Catone suadente bellum, et ut tollerētur deletereturque Carthāgo, Nasīca dissuadente. Placuit tamen, quod contra foedus naves habērent, quod exercitus extra fines duxissent, quod socio populi Romani et amico Masinissae arma intulissent, quod filium eius Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepissent, bellum iis indīci (traduci con l'indicativo i verbi al congiuntivo). Priusquam ullae copiae in naves imponerentur, Uticenses legati Romam venerunt, se suaque omnia dedentes. Ea legatio, velūti omen grata patribus, acerba Carthaginensibus fuit.

Da *Epitōmae librorum* T. LIVI

11. Ultimatum dei Romani respinto dai Cartaginesi.

Legati triginta Romam venerunt, per quos se Carthaginienses dedebant. Catonis sententia devicit, ut in decreto perstarētur et ut consules quam primum ad bellum proficiscerentur; qui ubi in Africam transierunt, acceptis, quos imperavērant, trecentis obsidibus et armis omnibusque instrumentis bellicis, si qua Carthagine erant, tunc, cum ex auctoritate patrum iubērent ut in alio loco, dum (= purché) a mari decem milia passuum, ne minus, remoto, oppidum facerent, indignitate rei ad bellandum Carthaginienses compulerunt. Obsidēri oppugnari-que coepta est Carthāgo ab L. Marcio M. Manilio consulibus. In qua oppugnatione cum neglectos ab una parte muros duo tribuni temēre cum cohortibus suis irrupissent et ab oppidanis graviter caederentur, a Scipione Africano (P. Cornelio Scipione Emiliano Africano minore) expliciti sunt; per quem et castellum Romanorum, quod nocte Carthaginienses expugnauerant, paucis equitibus iuventibus, liberatum est.

Da *Epitōmae librorum* T. LIVI

28. Camillo, secondo fondatore di Roma.

Post viginti deinde annos Veientani rebellaverunt. Dictator contra ipsos missus est Furius Camillus, qui primum eos vicit acie, mox etiam civitatem diu obsidens cepit, antiquissimam Italiae atque ditissimam. Post eam cepit et Faliscos, non minus nobilem civitatem. Sed commota est ei invidia, quasi praedam male divisisset, damnatusque ob eam causam et expulsus civitate. Statim Galli Senōnes ad urbem venerunt et, victos Romanos apud flumen Alliam secuti, etiam urbem occupaverunt. Neque defendi quicquam nisi Capitolium potuit; quod cum diu obsedissent et iam Romani fame laborarent (laboro: sono tormentato), accepto auro, ne Capitolium obsidērent, recesserunt. Sed a Camillo, qui in vicina civitate exulabat, Gallis superventum est gravissimeque victi sunt. Postea secutus eos, Camillus ita cecidit, ut et aurum, quod his datum fuerat, et omnia, quae cepērant, militaria signa revocaret (revōco: ricupero). Ita triumphans urbem ingressus est et appellatus secundus Romulus, quasi et ipse patriae conditor.

Da EUTROPIO

29. Vittorie di Gneo Pompeo.

Existīmo in summo imperatore quattuor has res inesse oportēre: scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur Cn. Pompeio scientior unquam fuit? Qui extrema pueritia miles in exercitu summi fuit imperatoris, ineunte adulescentia maximus ipse exercitus imperator, qui plura bella gessit quam cetēri legerunt: civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, servile, navale non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta sunt. Per hosce annos omnia maria referta praedōnum erant; a Cn. Pompeio omnes ubique praedones partim capti interfectique sunt, partim unius huius se imperio ac potestati dederunt; tantum bellum, tam vetus, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confēcit.

Da CICERONE

52. Mario, i Cimbri e i Tèutoni.

C. Mario propter Cimbrici belli metum continuatus per complures annos magistratus est: itērum et tertium absens consul creatus, quartum quoque consulatum consecutus est; summa vi oppugnata a Teutōnis castra defendit; duobus deinde proeliis circa Aquas Sextias eos hostes delevit, in quibus caesa traduntur hostium ducenta milia, capta nonaginta. Marius absens quintum consul creatus est; triumphum oblatum, donec et (= etiam) Cimbros vincēret, distūlit. Cimbri, repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catūlo proconsule, cum in Italiam traiecissent, iunctis eiusdem Catūli et C. Marii exercitibus, proelio victi sunt ab eis, in quo caesa traduntur hostium centum et quadraginta milia, capta sexaginta. Marius, totius civitatis consensu exceptus, pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno contentus fuit. Primōres civitatis conservatam ab eo rem publicam fatebantur.

Da Epitōmae librorum T. LIVI

112. Edipo uccide il padre Laio.

Oedīpus, postquam ad pubērem aetatem pervēnit, fortissimus omnium aequalium erat. Itaque multi ei invidebant. Inter epūlas ei dixerunt: «Tu non es Polybii filius». Cum suspicaretur eos verum dixisse, Delphos est profectus, ut oraculum consulēret. Hoc respondit: «Patrem necabis et matrem uxorem duces». Itaque Oedīpus patriam et parentes vitare et in aliam terram migrare constituit. In itinēre Laius pater ei obviam vēnit. Cum comītes regis Oedipōdem via cedere iubērent, ille non oboedivit. Rex ēquos incitavit et rotā pedem eius oppressit. Tum Oedīpus iratus regem, ignorans eum patrem suum esse, de curru detraxit et occīdit. Laio occiso, Creon regnum occupavit.

Da IGINO

113. Eumene, governatore della Cappadocia.

Alexandro Babylōne mortuo, cum regna singulis familiaribus dispertirentur et summa tradita esset eidem, cui Alexander moriens anulū suum dedērat, Perdiccae (ex quo omnes conieceraut eum regnum ei commisisse), hoc tempore data est Eumēni Cappadocia. Hunc sibi Perdiccas adiunxerat magno studio, quod in homine fidem et industriam magnam videbat, non dubitans, si eum pellexisset, magno usui fore sibi in eis rebus quas apparabat. Cogitabat enim, quod fere omnes in magnis imperiis concupiscunt, omnium partes corripere atque complecti. Neque vero hoc ille solus fecit, sed cetēri quoque omnes, qui Alexandri fuerant amici. Primus Leonnātus (Leonnato) Macedoniam praeoccupare destinavit. Is multis magnisque pollicitationibus persuadere Eumēni studuit, ut Perdiccam desereret ac secum faceret societatem. Cum perducere eum non posset, interficere conatus est, et fecisset, nisi ille clam noctu ex praesidiis eius effugisset.

Da CORNELIO NEPOTE

139. La battaglia di Parigi.

Labienus milites cohortatus, ut suae pristinae virtutis et secundissimorum proeliorum memoriam retinērent atque ipsum Caesarem, cuius ductu saepe numero hostes superassent, praesentem adesse existimarent, dat signum proelii. Primo concursu ab dextro cornu, ubi septima legio constitērat, hostes pelluntur atque in fugam coniciuntur; ab sinistro, quem locum decima legio tenebat, cum primi ordines hostium transfixi telis concidissent, tamen acerrime reliqui resistebant, nec dabat suspicionem fugae quisquam. Ipse dux hostium Camulogēnus (Camulōgeno) suis adērat atque eos cohortabatur. At incerto etiam nunc exitu victoriae, cum septimae legionis tribunis esset nuntiatum, quae in sinistro cornu gererentur, post tergum hostium legionem ostenderunt signaque intulerunt. Ne eo quidem tempore quisquam loco cessit, sed circumventi omnes interfectique sunt. Eandem fortunam tulit Camulogēnus. At ii, qui praesidio contra castra Labieni erant relictī, cum proelium commissum audissent, subsidio suis ierunt collemque ceperunt neque nostrorum militum victorum impetum sustinere potuerunt. Sic, cum suis fugientibus permixti, quos non silvae montesque texerunt, ab equitatu sunt interfecti.

Da CESARE

140. Lucio Sergio Catilina.

L. Catilina, nobili genere (= da nobile famiglia) natus, fuit magna vi et animi et corpōris, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere. Corpus eius patiens (fuit) inediae, vigiliae, algōris; animus audax, subdōlus, varius, cuiuslibet rei simulātor ac dissimulātor; alieni appētens, sui profūsus (prodigo), ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus (insaziabile) animus (eius) immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem L. Sullae libīdo maxima invasērat re publica potiendi. Agitabatur animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelērum. Omnes quos flagitium, egestas, conscius animus (rimorso) exagitabat, ii Catilinae proximi familiaresque erant ita ut plerique Sullani milites, qui, rapinarum et victoriae vetēris memōres, civile bellum exoptabant. Iis amicis sociisque confīsus (confidando in), Catilina opprimundae rei publicae (= opprimendi rem publicam) consilium cepit.

Da SALLUSTIO

169. Un agricoltore operoso.

C. Furius Cresimus (Crèsimo) e servitute liberatus, cum in parvo agello fructus perciperet multo largiores quam ex amplissimis agris vicini, in invidia magnā erat, quasi fruges alienas perliceret veneficiis. Quam ob rem Spurius Albīnus (Spurio Albino) ei diem dixit (diem dicere alicui: citare uno in giudizio); ille autem metuens damnationem, cum in iudicium oportēret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit et adduxit familiam suam validam atque bene curatam et vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligōnes, vomēres ponderōsos, boves satūros. Postea dixit: « Veneficia mea, Quirītes, haec sunt, nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes meas vigiliasque et sudores ». Omnium sententiis itaque absolutus est.

Da PLINIO IL VECCHIO

170. Le arti nell'antica Grecia.

Honos alit artes, et omnes incenduntur ad studia gloriā, iacentque neglecta semper ea quae improbantur. Summam eruditionem Graeci sitam esse censebant in nervorum et vocum cantibus: igitur et Epaminondas princeps meo iudicio Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur, Themistoclesque aliquot ante annos, cum in epulis recusavisset lyram, est habitus indoctus. Ergo in Graecia musici floruerunt, discebantque musicam omnes nec qui eam nesciebat satis excultus doctrinā putabatur. In summo apud illos honore geometriā fuit, itaque nihil mathematicis illustrius. Aristoteles, vir summo ingenio, scientia, copia, cum motus esset Isocratis rhetoris gloria, coepit docere adulescentes artem dicendi et artem iungendi prudentiam cum eloquentia.

Da CICERONE

**TEMI DI RICAPITOLAZIONE SULLE
DETERMINAZIONI DI TEMPO E DI LUOGO**

193. *M. Catonis cursus honorum.*

M. Cato, ortus municipio Tusculò, adolescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. Inde hortatu L. Valerii Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam, Romam demigravit in foroque esse coepit. Primum stipendium meruit (adolescentulus) annorum decem septemque. Q. Fabio M. Claudio consulibus tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudii Neronis, magnique opera eius existimata est in proelio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. Quaestor obtigit P. Africano consuli. Aedilis plebis factus est cum C. Helvio. Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua, quaestor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poetam deduxerat, quod non minoris aestimamus quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco. Sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, ex ea triumphum deportavit.

Da CORNELIO NEPOTE

233. Lodi dell'Italia.

In toto orbe pulcherrima omnium est et in rebus merito principatum obtinet Italia viris, feminis, ducibus, militibus, servitiis, artium praestantia, ingeniorum claritatibus, situ ac celebritate coeli atque temperie, accessu cunctarum gentium facili, portuosus litoribus, benigno ventorum afflatu, aquarum copia, nemorum salubritate, montium articulis (articulum, i, n.: catena), ferorum animalium innocentia, soli fertilitate, pabuli ubertate. Quidquid est, quo carere vita non debeat, nusquam est praestantius; fruges, vinum, oleum, vellera, lina, vestes, iuveni (sunt). Metallis auri, argenti, aeris, ferri nullis cessit terris, et varios sucos et frugum pomorumque sapores fundit.

Da PLINIO IL VECCHIO

234. Marco Aurelio vende i suoi beni.

M. Antoninus Aurelius liberalitatis promptissimae fuit. Provincias ingenti benignitate et moderatione tractavit. Contra Germanos, eo principe, res feliciter gestae sunt. Bellum ipse unum gessit Marcomanicum (= contro i Marcomanni). Ad huius belli sumptum, cum, aerario exhausto, nihil (= nessun sacrificio) indicare provincialibus aut senatui vellet, instrumentum (corredo) regii cultus, facta in foro divi Traiani sectione (vendita all'incanto), distraxit, vasa aurea, pocula crystallina et murrina, uxori ac suam sericam et auream vestem, multa ornamenta gemmarum. Ac per duos continuos menses ea venditio habita est multumque auri redactum. Post victoriam tamen emptoribus pretia restituit, qui reddere comparata voluerunt; molestus nulli fuit, qui maluit semel empti retinere (conservare).

Da EUTROPIO

236. Saggio governo democratico dopo la tirannide.

Dionysio, Syracusarum tyranno, tota Sicilia depulso, Timoleon, cum propter diuturnitatem belli non solum regiones, sed etiam urbes desertas vidēret, conquisivit quos potuit, primum Siculos, dein Corintho arcessivit colonos, quod ab iis initio Syracusae erant conditae. Civibus veteribus sua restituit, novis bello vacuefactas possessiones divisit, urbium moenia disiecta fanaque detecta refēcit, civitatibus leges libertatemque reddidit: ex maximo bello tantum otium insulae conciliavit, ut hic conditor urbium earum, non illi qui initio deduxerant, videretur. Arcem Syracusis, quam muniērat Dionysius ad urbem obsidendam, a fundamentis disiēcit, cetēra tyrannidis propugnacula demolitus est. Cum tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset, tantum autem amorem habēret omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtinēre liceret, maluit se diligi quam metui. Itaque, cum primum potuit, imperium deposuit ac privatus Syracusis, quod reliquum vitae fuit, vixit.

Da CORNELIO NEPOTE

237. Saggezza di Tito Pomponio Attico.

Haud vero ille vir minus bonus paterfamilias habitus est quam civis. Nam, cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus aedificator. Neque tamen non in primis bene habitavit omnibusque optimis rebus usus est. Nam domum habuit in colle Quirinali, ab avunculo hereditate relictam; cuius amoenitas non aedificio, sed silva constabat. Ipsum enim tectum antiquitus constitutum plus salis quam sumptus habebat; in quo nihil commutavit, nisi si quid vetustate coactus est. Elēgans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus: omnisque diligentia munditiam, non affluentiam affectabat. Supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam aut maritimam sumptuosam villam, neque in Italia, praeter Arretinum et Nomentanum, rusticum praedium, omnisque eius pecuniae reditus constabat in Epiroticis et urbanis possessionibus. Ex quo cognosci potest usum eum pecuniae non magnitudine, sed ratione metiri solitum.

Da CORNELIO NEPOTE

282. Gli Elvezi, sconfitti da Cesare, si ritirano.

Ita ancipiti proelio diu atque acriter pugnatum est. Diutius cum sustinere nostrorum impetus non possent, Helvetii alteri se, ut coeperant, in montem receperunt, alteri ad impedimenta et carros suos se contulerunt. Nam hoc toto proelio, cum ab hora septima ad vesp̄um pugnatum sit, aversum hostem videre nemo potuit. Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est, propterea quod pro vallo carros obiēcerant et e loco superiore in nostros venientes tela coniciebant, et nonnulli inter carros rotasque mat̄aras ac tragūlas subiciebant nostrosque vulnerabant. Diu cum esset pugnatum, impedimentis castrisque nostri potiti sunt. Ibi Orgetor̄gis filia atque unus e filiis captus est. Ex eo proelio circiter hominum milia CXXX superfuērunt eaque tota nocte continenter ierunt; nullam partem noctis itinere intermisso, in fines Lingōnum die quarto pervenerunt, cum et propter vuln̄era militum et propter sepulturam occisorum nostri triduum morati eos sequi non potuissent.

Da CESARE

283. La città di Petelia si arrende ad Annibale.

Eodem tempore Petelinos, qui uni ex Brutiis manserant in amicitia Romana, non Carthaginienses modo, sed Bruttii quoque oppugnabant. Quibus cum obsistere malis nequirent Petelini, legatos Romam ad praesidium petendum miserunt. Quorum preces lacrimaeque — in questus enim flebiles, cum sibimet ipsi consulere iussi sunt, sese in vestibulo curiae profuderunt — ingentem misericordiam patribus moverunt. At patres, fat̄eri coacti nihil iam longinquis sociis in se praesidii esse, consulere sibimet ipsos iusserunt. Haec postquam renuntiata legatio Petelinis est, tantus pavor senatum eorum cepit, ut pars profugiendi, qua quisque posset, auctores essent, pars, quando deserti a veteribus sociis essent, dedendi Hannibali. Vicit tamen ea pars, quae nihil temere agendum, consulendumque de integro censuit.

Sed Petelia aliquot post mensibus, quam coepta oppugnari erat, expugnata est. Multo sanguine ac vulneribus ea Poenis victoria stetit, nec ulla magis vis obsessos quam fames expugnavit. Absumptis enim frugum alimentis carnisque, postremo coriis herbisque et radicibus et corticibus vivere, nec, ante quam vires ad ferenda arma deerant, expugnati sunt.

Da LIVIO

389. Morte di Alessandro Magno.

Tumultuantes milites, insidiis periisse regem suspicantes, (Alexander) sedavit eosque omnes, cum prolatus in editissimum urbis locum esset, ad conspectum suum admisit osculandamque dextram suam flentibus porrexerat. Cum lacrimarent omnes, ipse non sine lacrimis tantum, verum etiam sine ullo tristioris mentis argumento fuit, ut quosdam impatientius dolentes consolatus sit, quibusdam mandata ad parentes eorum dedērit; adeo, sicūti in hostem, ita et in mortem invictus animus fuit. Dimissis militibus, amicos circumstantes percontatur videanturne similem sibi reperturi regem. Tacentibus cunctis, tum ipse illud scire vaticinarique se ac paene oculis vidēre dixit, quantum sit in hoc certamine sanguinis fusura Macedonia, quantis caedibus, quo cruōre mortuo sibi parentatura. Ad postremum corpus suum in Hammōnis templo condi iubet.

Da GIUSTINO

390. La guerra di Modena (43 a. C.).

Ad D. Brutum liberandum legati missi principes civitatis, qui M. Antonio denuntiarent, ut a Mutina discederet; eiusdem D. Bruti conservandi gratia consul sortitu ad bellum profectus A. Hirtius. Caesar (Ottaviano, propretore) cum exercitu per se comparato, cum primum pestibus (pestis, is, f.: eccidio) rem publicam liberasset, ne quid postea scelēris oreretur, profectus est ad eundem Brutum liberandum. Quid C. Pansa (l'altro console) egit aliud dilectibus habendis, pecunia comparanda, senatus consultis faciendis gravissimis in Antonium, nobis cohortandis, populo Romano ad causam libertatis vocando, nisi ut D. Brutus liberaretur? A quo populus Romanus frequens ita salutem D. Bruti una voce depoposcit, ut eam non solum commōdis suis, sed etiam necessitati victus anteferebat.

Da CICERONE

TEMI DI RICAPITOLAZIONE
SULLE PROPOSIZIONI FINALI, CONSECUTIVE E CAUSALI

517. La battaglia di Maratona.

Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit praeter Plataeenses. Ea mille misit militem. Itaque horum adventu decem milia armatorum completa sunt, quae manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum est ut plus quam collegae Miltiades valeret. Eius ergo auctoritate impulsus Athenienses copias ex urbe eduxerunt locoque idoneo castra fecerunt. Dein postero die sub montis radicibus acie regione instructa non apertissima (namque arbores multis locis erant raras) proelium commiserunt hoc consilio, ut et montium altitudine tegerentur et arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudinem clauderentur. Datis etsi non aequum locum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum confligere cupiebat, eoque magis, quod, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem positum centum, equitum decem milia produxit proeliumque commisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplex numerum hostium profligarent, adeoque eos perterruerunt, ut Persae non castra, sed naves petierint. Qua pugna nihil adhuc existit nobilius: nulla enim umquam tam exigua manus tantas opes prostravit.

Da CORNELIO NEPOTE

TEMI DI RICAPITOLAZIONE
SULLE PROPOSIZIONI CONCESSIVE, AVVERSATIVE,
COMPARATIVE, RELATIVE

591. Saggezza di Agesilao, re di Sparta.

Post hoc proelium, collatum omne bellum est circa Corinthum ideoque Corinthum est appellatum. Hic cum una pugna decem milia hostium Agesilao duce cecidissent eoque facto opes adversariorum debilitatae viderentur, tantum afuit ab insolentia gloriae, ut commiseratus sit fortunam Graeciae, quod tam multi a se victi vitio adversariorum concidissent: namque illa multitudine, si sana mens esset, Graeciae supplicium Persas dare (alicui supplicium do = pago il fio a uno, sono punito da uno) potuisse. Idem cum adversarios intra moenia compulisset et ut Corinthum oppugnaret multi hortarentur, negavit id suae virtuti convenire: se enim eum esse dixit, qui ad officium peccantes redire cogēret, non qui urbes nobilissimas expugnaret Graeciae. «Nam si», inquit, «eos exstinguere voluerimus, qui nobiscum adversus barbaros steterunt, nosmet ipsi nos expugnaverimus illis quiescentibus. Quo facto, sine negotio, cum voluērint, nos oppriment».

Da CORNELIO NEPOTE

592. Eroica morte dell'ateniese Càbria.

Chabriās periit tali modo. Oppugnabant Athenienses Chium. Erat in classe Chabriās privatus, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate antebat, eumque magis milites quam, qui praeerant, aspiciebant. Quae res ei maturavit mortem. Nam dum primus studet portum intrare gubernatoremque iubet eo dirigere navem, ipse sibi perniciēi fuit. Cum enim eo penetrasset, cetērae non sunt secutae. Quo facto circumfusus hostium concursu cum fortissime pugnaret, navis rostro percussa coepit sidere. Hinc refugere cum posset, si se in mare deiecisset, quod suberat classis Atheniensium, quae exciperet natantes, perire maluit quam armis abiectis navem relinquere, in qua fuerat vectus. Id cetēri facere noluerunt; qui nando in tutum pervenerunt. At ille, praestare honestam mortem existimans turpi vitae, comminus pugnans telis hostium interfectus est.

Da CORNELIO NEPOTE

616. L'imperatore Giuliano.

Iulianus hostili manu interfectus est VI Kal. Iul., imperii anno septimo, aetatis altëro et tricesimo, atque inter Divos relatus est, vir egregius et rem publicam insigniter moderaturus, si per fata licuisset. Liberalibus disciplinis adprimè eruditus, Graecis doctior atque adeo, ut Latina eruditio nequaquam cum Graeca scientia conveniret, facundia ingenti et prompta, memoriae tenacissimae, in quibusdam philosopho propior. In amicos liberalis, sed minus diligens quam tantum principem decuit. Fuerunt enim nonnulli, qui vulnera gloriae eius inferrent. In provinciales iustissimus et tributorum, quatënus fieri posset, repressor. Civilis in cunctos, mediöcrem habens aerarii curam, gloriae avidus ac per eam animi plerumque inmodïci, religionis christianae nimius insectator, perinde tamen, ut cruore abstinëret, Marco Antonino non absimilis, quem etiam aemulari studebat.

Da EUTROPIO

617. I sette re di Roma.

Haec est prima aetas populi Romani et quasi infantia, quam habuit sub regibus septem, quadam fatorum industria tam variis ingenio, ut rei publicae ratio et utilitas postulabat. Nam quid Romülo ardentius? tali opus fuit, ut invadëret regnum. Quid Numa religiosius? ita res poposcit, ut ferox populus deorum metu mitigaretur. Quid ille militiae artifex Tullus? bellatoribus viris quam necessarius, ut acuëret ratione virtutem! Quid aedificator Ancus, ut urbem colonia extendëret, ponte iungëret, muro tueretur? Iam vero ornamenta Tarquinii et insignia quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem! Actus a Servio census quid effëcit, nisi ut ipsa se nosset Romana res publica? Postrëmo Superbi illius importuna dominatio nonnihil, immo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, ut agitatus iniuriis populus cupiditate libertatis incenderetur.

Da FLORO

618. Roma conquista la Sicilia.

Victor Italiae populus Romanus cum ad fretum usque venisset, more ignis, qui obvias populatus incendio silvas interveniente flumine abrumpitur, paulisper substitit. Mox cum vidēret opulentissimam in proximo praedam quodam modo Italiae suae abscessam et quasi revulsam, adeo cupiditate eius exarsit ut, quatenus nec mole iungi nec pontibus posset, armis belloque iungenda et ad continentem suam revocanda bello viderentur. Et ecce, ultro ipsis viam pandentibus fatis, non occasio defuit, cum de Poenorum impotentia, foederata Siciliae civitas, Messana quereretur. Adfectabat autem, ut Romanus, ita Poenus Siciliam, et eodem tempore paribus uterque votis ac viribus imperium orbis agitabat. Igitur specie quidem socios iuvandi, re autem sollicitante praeda, quamquam territaret novitas rei, tamen (tanta in virtute fiducia est!) ille rudis, ille pastorius populus vereque terrester ostendit nihil interesse virtutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur.

Da FLORO

619. Trasibulo libera Atene dai Trenta Tiranni.

Cum triginta tyranni praepositi a Lacedaemoniis servitute oppressas tenerent Athenas, plurimos cives, quibus in bello parserat fortuna, partim patria expulissent, partim interfecissent, plurimorum bona publicata inter se divisissent, Thrasybulus non solum princeps, sed etiam solus initio bellum iis indixit. Hic enim cum Phylon (Phyle, es, f.: File) confugisset, quod est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secum triginta de suis. Hoc initium fuit salutis Atticorum, hoc robur libertatis clarissimae civitatis. Neque vero hic non contemptus est primo a tyrannis atque eius solitudo. Quae quidem res et illis contemnendis perniciē et huic despecto saluti fuit: haec enim illos segnes ad persequendum, hos autem tempore ad comparandum dato fecit robustiores. Quo magis praeceptum illud omnium in animis esse debet: nihil in bello oportere contemni. Neque tamen pro opinione Thrasybuli auctae sunt opes: nam iam tum fortius boni pro libertate loquebantur quam pugnabant. Hinc in Piraeum transiit Munychiamque munivit. Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti ab eaque turpiter repulsi protinus in urbem, armis impedimentisque amissis, refugerunt. Usus est Thrasybulus non minus prudentia quam fortitudine. Nam cedentes violari vetuit (cives enim civibus parcere aequum censebat), neque quisquam est vulneratus, nisi qui prior impugnare voluit. Neminem iacentem veste spoliavit, nihil attigit nisi arma, quorum indigebat, quaeque ad victum pertinebant. In secundo proelio cecidit Critias, dux tyrannorum, cum quidem adversus Thrasybulum fortissime pugnaret.

Da NEPOTE

620. Un alfiere coraggioso.

Caesar naves longas, quarum et species erat barbaris inusitatio et motus ad usum expeditior, paulum removēri ab onerariis navibus et remis incitari et ad latus apertum hostium constitui atque inde fundis, sagittis, tormentis hostes propelli ac submovēri iussit; quae res magno usui nostris fuit. Nam et navium figura et remorum motu et inusitato genere tormentorum permōti barbari constiterunt ac paulum modo pedem rettulerunt. Atque nostris militibus cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui decimae legionis aquilam ferebat, contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret: «Desilite», inquit, «milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere: ego certe meum rei publicae atque imperatori officium praestitēro». Hoc cum voce magna dixisset, se ex navi proiēcit atque in hostes aquilam ferre coepit. Tum nostri cohortati inter se, ne tantum dedēcus admitteretur, universi ex navi desiluerunt.

Da CESARE

621. Cesare redarguisce il suo consiglio di guerra.

Caesar haec cum animadvertisset, convocato consilio omniumque ordinum ad id consilium adhibitis centurionibus, vehementer eos incusavit: primum, quod, aut quam in partem aut quo consilio ducerentur, sibi quaerendum aut cogitandum putarent. Ariovistum, se consule, cupidissime populi Romani amicitiam adpetisse: cur hunc tam temere quisquam ab officio discessurum iudicaret? Sibi quidem persuaderi, cognitis suis postulatis atque aequitate condicionum perspecta, eum neque suam neque populi Romani gratiam repudiaturum. Quod si furore atque amentia impulsus bellum intulisset, quid tandem vererentur? aut cur de sua virtute aut de ipsius diligentia desperarent? Factum (esse) eius hostis periculum patrum nostrorum memoria, cum, Cimbris et Teutōnis a C. Mario pulsus, non minorem laudem exercitus, quam ipse imperator, meritus videbatur; factum etiam nuper in Italia servili tumultu, quos (servos) tamen aliquid usus ac disciplina, quae a nobis acceperant, sublevarent. Ex quo iudicari posse quantum haberet in se boni constantia, propterea quod, quos aliquamdiu inermes sine causa timuissent, hos postea armatos ac victores superassent.

Da CESARE

623. Umanità nella vittoria.

Hannibal Aemilii Pauli apud Cannas trucidati quaesitum corpus, quantum in ipso fuit, inhumatum iacere passus non est. Hannibal Tiberium Gracchum Lucanorum circumventum insidiis cum summo honore sepulturae mandavit et ossa eius in patriam portanda militibus nostris tradidit. Hannibal M. Marcellum in agro Bruttio, dum conatus Poenorum cupidius quam consideratius speculatur, interemptum legitimo funere extulit Punicoque sagulo et corona donatum aurea rogo imposuit. Ergo humanitatis dulcedo etiam in efferata barbarorum ingenia penetrat torvosque et truces hostium mollit oculos ac victoriae insolentissimos spiritus flectit. Nec illi arduum ac difficile est inter arma contraria, inter dstrictos comminus mucrones placidum iter reperire. Vincit iram, prosternit odium hostilemque sanguinem hostilibus lacrimis miscet.

Da VALERIO MASSIMO

624. Cronologia greco-romana.

Si, id quod Graecorum investigatur annalibus, Roma condita est secundo anno Olympiadis septimae, in id saeculum Romuli cecidit aetas. Nam centum et octo annis postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est Olympias, quam quidam nominis errore ab eodem Lycurgo constitutam putant. Homerum autem, qui minimum dicunt, Lycurgi aetati triginta annis antepōnunt fere. Ex quo intelligi potest permultis annis ante Homerum fuisse quam Romulum.

Da CICERONE